

1503 quinquaginta, stipendia reipublicæ facere: milites se habere paratisimos numero ad duo millia, quibus sine stipendio mensem eoque amplius Senatus uti possit: rogare, ut in ejus fidem recipiatur. Cognitis his postulatis, satis est ei omnibus in rebus ab Senatu factum, atque auri libræ centum annuæ in stipendum constitutæ. Cardinalium collegium, Cæsaris abitu liberum factum, Cardinalem Senensem Pontificem Maximum creavit, qui se Pium tertium appellari voluit. Huic ante mensis exitum vitiatæ tibiæ doloribus mortuo, successit Julius secundus Ligur, quem respublica Pontificem fieri majorem in modum concupiverat, eique rei omnem suam operam adhibuerat.

Sed Pio vita fruente Jacobus Venerius Ravennæ præfetus, Cesenam ab ejus oppidi civibus accersitus, qui se reipublicæ dedere volebant, cum militibus noctu se contulit frustra, propterea quod non ea quæ inter ipsos convenerat, sed nocte postera eo venit. illi autem cum se superiori nocte ad illum recipiendum comparavissent, neque is se ostendisset, studium & diligentiam remiserunt. Accidit autem ob ejusmodi moram, uti Cæsaris militibus res in suspicionem veniret, qui ad portas & in muris stationes habuerunt. itaque Venerius infecta re Ravennam rediit. Paucis post diebus Petri Remiri Hispani, qui Fori Livii arcem munitissimam Cæsari custodiebat, nuncius Ravennam ad legatum venit; si respublica eam arcem velit, Remirum illum traditurum, modo ei liceat, quæ in arce sit supellex Cæsaris, Ravennam atque ad urbem asportare: tum ab Senatu præfecturam habeat equitum quinquaginta, totque in urbe insulas, quibus ex insulis duarum auri librarum fructus annuus ad se se redeat. Ea intellecta re Senatus consultum factum est, legato licere præfecto arcis fidem dare reipublicæ nomine, fore quemadmodum velle se ostendisset, arcemque ab eo accipere, atque ea de causa Forum Livii accedere cum ea copia, quam ex usu esse reipublicæ statuisset: neve quis eam rem enunciaret, a senatoribus omnibus iusjurandum datum. Deinde Romani interregni diebus cum Pandulphum Malatestam, qui Ariminum a Roberto patre

Pius III.
Pont. crea-
tur XI. cal.
oct. & mori-
tur XV. cal.
novemb.
Julius II.
pont. creatur
pr. cal. nov.

tra-